

La grammatica e Uno scita ammonisce Alessandro Magno

La grammatica

Ars grammatica, quae a nobis litteratura dicitur, scientia est eorum quae a poetis, historicis oratoribusque dicuntur ex parte maiore. Eius praecipua officia sunt quattuor: scribere, legere, intellegere, probare. Artis grammaticae officia constant partibus quattuor: lectione, enarratione, emendatione, iudicio. Lectio dicitur varia cuiusque scripti pronuntiatio serviens dignitati personarum exprimensque animi habitum cuiusque. Enarratio est obscurorum sensuum quaestionumve explanatio. Emendatio est recorrectio errorum qui per scripturam dictionemve fiunt. Iudicium est aestimatio qua poemata ceteraque scripta perpendimus.

VARRONE

Uno scita ammonisce Alessandro Magno

Si tibi visum est, Alexander, omnes nationes armis occupare, scito te numquam Scythas victurum esse. Paupertas nostra velocior erit quam exercitus tuus. Cum procul abesse nos credes, tum videbis in tuis castris. Eadem velocitate et te sequemur et a te nos removebimus. Scytharum solitudines immensae sunt; nam nos deserta magis quam urbes et opulentos agros colimus. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene: lubrica enim est.

Nos fortunam sine pedibus esse dicimus et tantum manus et pinnas habere: cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere. Praeterea, si deus tibi esse videris, tribuere hominibus beneficia debes, non sua abstrahere. Non consentaneum videtur deos hominibus mala tribuere. Denique, noli credere amicos tibi fore quos viceris: inter dominum et servum nulla amicitia est.